Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 827

Quelle:
Copyright:

Scriptori digne (jam?) *coſta affatur in igne.*

VII. *fol.* 127. *Viſio quam vlricus ſacerdos vidit licet indignus de volchenmarcht prepoſitus archidyaconus karinthie.* Init: *Quia proprium eſt invidorum que bona audierunt, animo tabefacto laceſſere, et falſa ueris ſub ſpecie veri immiſcere, idcirco ego Vlricus de volchenmarcht* (Volkenmarkt Gentiforum Civitas ad Dravum) *prepoſitus licet indignus viſionem, quam dominus ihesus chriſtus mihi per gratiam ſuam reuelare dignatus eſt, fratribus qui id audire voluerint, non faſtu preſumcionis alicuius ſed ſpe correctionis fideliter enodare propoſui. Anno igitur gratie M°. CC°. XL°. in feſto ſancti ſilueſtri pape cepi grauiter infirmari* &c. Narratio Beatorum felicitatem et Impiorum ſupplicia ſub varia allegoria depingit ad modum plurium ejusmodi Viſionum, quae feruntur. Illud ſingulare, quod refert *Ulricus*, dum ἐκστατικος ſuper lectum *prius vnguento balſamato perunctum* ab Angelo ductore quieſcere juberetur, eodem tempore hos, qui circa illum erant, ex eo ſenſiſſe *procedere inſoliti odoris fragrantiam.* Accedit pium Commentum de quodam Epiſcopo, cui Deus pro aliquot diebus ſceptrum, thronum et gubernationem rerum humanarum permiſerat, item ſeries Verſiculorum moralium levis momenti, omniaque in miniatam hanc exeunt clauſulam: *Explicit opus venerabilis doctoris Origenis ſuper Cantica Canticorum Salomonis Comparatum tempore domini Georgii prioris kartb. in kungſwelt*, et poſt quaedam eraſa: *Sabbato ante oculi. Anno incarnationis Milleſimo domini CCCC. Hec tibi Sancta Trinitas quia tu laborem et dolorem conſideras.* Item Imprecatio: *Iſte libellus eſt domus ſancte trinitatis prope brunnam ordinis carthuſien. Non furto auferatur ſub pena eterne mortis quam ſancta trinitas fulminabit iuſto ſancto ſuo iudicio ſuper delinquentem.* Cur Carthuſia iſta hic in *Königsfeld* dicta ſupra N. V. in *Nova Valla* ſ. *Valle* dicatur, neſcio.

CCCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 317. f. max. per duas columnas nitidiſſime exaratus, rubricis diſtinctus, et, ut manus Sec. XIV. praenotavit: *Liber de Maur. eccleſia*, demum *Collegii Vienn. Soc. Jeſu* egregium Exemplar eſt B. *Gregorii Papae Moralium ſiue Expoſitionis in Job.* Praeſcripta illi eſt Narratio de rurſum *Romae* reperto hoc Opere manu Sec. XIV. phraſi paullum varians ab ea, quam *Mauriani* T. I. *Opp. Gregorii* exhibent. *Cyndeſindus* eorum Rex nobis *Xyndeſindus* eſt, eorum Epiſcopus *Tagio* vel *Trajo* nobis *Baro*. Extrema nobis: *Hec viſio in omnibus libris moralium ante ipſum prologum per totam Hiſpaniam invenitur. Tu &c.* Id eſt: *Tu autem, Domine! miſerere nobis.* Formula haec eſt terminandi Lectiones in Officio Chori, R. 820